



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 5. Quæsita hujus Fœderis caussæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

tis collidebatur, contentionum necdum Sæcul. XVI.
 plene extinctarum memoriam refrica- A. C. 1508.
 runt: nec incassum; Maximilianus quippe
 foederis articulos sibi prælegi jussit,
 cum autem eos rebus suis propitios cer-
 neret, lubens illos approbavit. Ast non
 eadem facilitate Ferdinandus Arrago-
 num Rex societati huic nomen dedit,
 sed plura eaque gravia, quæ ipsum ab
 hoc foedere absterrent, proponebat ob-
 stacula. Ergo ut illa e medio tollerentur,
 adlaboratum est, & quamvis ipse ex
 rationum momentis sibi propositis hanc
 societatem minus æquam cognosceret,
 nihilominus oblato foederi subscripsit;
 intellexerat enim, quod tum Cæsar, tum
 Galliarum Rex unioni huic faverent, a-
 liunde etiam hujus societatis beneficio
 spem concipiebat recuperandi ea, quæ
 Carolo VIII. bellum in Neapolitanos mo-
 vente, Venetis in Apulia pignoris loco re-
 liquerat. Itaque & ipse ceteris arma sua
 conjungere pollicebatur, eo tamen con-
 silio, ut a novis hisce foederatis deficeret,
 quamprimum commodi sui ratio datæ
 fidei mutationem suaderet.

§. V.

Quæsitæ hujus Fœderis causæ.

Igitur utrinque firmabatur nominatissi- Guic. hist.
 mum hoc foedus, quod vulgo *Camera- l. 8.*

A 3

censis

Sæcul. XVI
A. C. 1508

Seysfel hist
Ludov. XII
Raynald. ad
ann 1509.
n. 3. & 4.

ensis societas, nomine a loco congressus mutuato dicebatur: Ut vero rei gestæ, si fieri posset, suspicio Venetis penitus adimeretur, atque hujus congressus consilia alto admodum silentio premerentur, Foederati obtendebant, se nulla alia ex causa convenisse, quam ut dissidia inter Carolum Lucemburgicum Hispaniæ Principem, & Geldriæ Ducem Gallis foederatum exorta mutuo colloquio componerent. Quinimo, ut hic prætextus ad veritatem propius accedere videretur, concordiae pacta a Geldriæ Duce oblata hoc anno die decima Decembris signabant ac hujus causæ cognitionem iudicibus committi fingeant, cum tamen eodem die absque fori strepitu, aliisque solemnibus mutuae armorum societati, quæ genuina congressus causa erat, adversus Venetos subscripsissent. Præpediebantur foederati Principes hisce comitiis per se ipsos interesse, unde quivis eorum suos eo ablegabat Deputatos, ac Imperatoris quidem nomine aderat Margarita Austriaca Sabaudiae Ducis Vidua Maximiliani Filia, & Belgii Gubernatrix, quæ rerum gerendarum dexteritate percelebris, animos flectere nata, atque ad concilianda dissidentium studia longe aptissima videbatur. Ludovicus quoque Galliarum Rex Cardinalem de Ambasia primum suum Ministrum, Rex vero Arragoniæ

goniæ itidem suum Oratorem eo decre-
verant: totum vero negotium præcipue
Cardinalem inter, & solum Sabaudia
Ducem concludebatur, ceteris nonnisi,
quæ inter ambos discussa, atque conclu-
sa fuerant, rata habentibus.

Sæcul. XVI.
A. C 1508.

§. VI.

*Articuli secreti fœderis adversus
Venetos.*

Cum supervacaneum existimem concor-
diæ leges cum Geldriæ Duce initas
impræsentiarum recensere, solum memo-
rabo fœdera contra Venetos hunc in
modum perscripta. I. Sit mutua armo-
rum societas inter summum Pontificem,
Galliarum, & Arragoniæ Reges eo fine,
ut ditiones, & loca, quæ Veneti singulis
eripuerunt, denuo vindicarentur. Red-
dantur ergo summo Pontifici urbes, quas
ii in Romandiola adversus Sedem Apo-
stolicam usurparunt, erant autem Ravenna,
Cervia, Faventia, Ariminum, Forum Cor-
nelii, & Cesena; Imperatori vero resti-
tuantur Roboretum, Verona, Patavium,
Vicentia, Trivisum, & Forum Julium:
ad Galliarum Regem redeant Brixia,
Crema, Bergomum, Cremona, & Gera-
dada, cum singulis locorum territoriis,
quæ antiquitus Mediolanensis Ducatus
erant. Pariter Arragoniæ Rex recuperet

*Hist. de la
Ligue de
Cambray
vol. 2. Paris.
1709. tom I.
lib 1 p. 50.
Marian hist.
His. lib. 29.
n. 65.*